R.A. 15 Septemb. 1628

24

VOTA, ET MOTIVA A PROCESSV PETRI HIERONYMI DE LVNA, SVPER APPREHENSIONE.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA

IN DEI Nomine Amen. Vniuersis pateat, quod die decimo quinto mensis Septembris, anno à Natiuitate Domini, computato, millesimo sexcentesimo vigesimo octauo, in Regio Consilio Ciuili, interuenerunt Magnifici domini Antonius Augustinus de Mendoza, Ordinarius Assessor, Hieronymus Marta, Ioannes Franciscus Salazar, & Franciscus Mirauete Regij Consiliarij ordinarij, & Hieronymus Torrero, Regius Consiliarius extraordinarius, in locum Magnifici domini, Dominici Descartin, Regij Cōsiliarij ordinarij, pro suspecto dati, in processu infrascripto, coram quibus fuit positus Processus Petri Hieronymi de Luna, super apprehensione, in quo dictus dominus Hieronymus Torrero relator, & cæteri Domini de dicto Regio Consilio, necnon dictus Dominus Assessor, concordes, fuerunt voti, & opinionis. Quod tenetur, & debet pronuntiare, & mandare recipere, propositionem Ioannis Hieronymi Ram, & Hieronymæ Burges de Obon cōjuguum, principalium Hieronymi de Abenia, & Didaci Antonij Antin procuratorum, præstita prius cautione forali, alijs propositionibus repulsis, reseruatis iuribus reseruari supplicantibus neutram partium in expensis condemnando. Cętera supplicata locum non habere. Tres ex dictis Dominis de dicto Regio Consilio fuerũt prædicti voti, ex motiuis sequētibus. EX EO, & aliàs recipitur propositio Ioannis Hieronymi Ram, & Hieronymæ Burges de Obon cōjuguum, principalium dictorum Hieronymi de Abenia, & Didaci Antonij Antin procuratorum, repulsis propositionibus Pe-

tri Hieronymi de Luna,& Petri Hieronymi Martinez de Aztarbe, & Annæ Mariæ Casales cõjuguum. Quoniam ex deductis in præsenti processu, & præcipuè ex codicillari dispositione Annæ Sancho, dominæ bonorum apprehensorum, resultat, & manifestè deprehenditur, ipsam, Doctorem Mattheum Sancho, eius fratrem hæredem instituisse, eundemque grauasse verbis sequentibus. ET primeramente quiero, y es mi voluntad, que Matheo Sancho mi hermano haya de disponer, y dispóga, de los bienes de mi vniuersal herencia, para despues de sus dias, en los hijos de los quondam Micer Iuan de Luna, Geronimo Burges, y Agustin Casales, en los dos hijos mayores, de cada vno dellos, repartiendo los bienes de la dicha mi vniuersal herencia entre ellos, dando a qual mas, a qual menos, y al que no quisiere dar nada, lo pueda hazer de la forma y manera que le pareciere. Ex quibus verbis apparet, vocationem fuisse conceptam, cum demonstratione qualitatis maioriæ, quæ quidem operatur, ac si proprijs nominibus nominasset, cum testatrix omnes illos iam cognouisset, & qualitas maioriæ in prærogatiua ætatis consistat, quæ vtpote naturalis, & personalissima, non est transmissibilis, & cum persona extinguatur, cui coheret, taliter quod non potest extendi de vno filio in alium, cum ætas primi, non possit esse secundi, præsertim in Aragonia, vbi propter obseruantiam Regni, cartæ stari iubentem, verba sunt intelligenda, secundum naturalem sensum, & non secundum interpretationẽ & fictionem iuris, infertur, quod cum tempore quo decesit, Doctor Matheus Sancho, nullus extiterit filius ex hijs maioribus, vt ex processu constat, fideicommissum euanuise, bonaq; apud Doctorem Matheum Sancho libera extitise ex dicta caducitate, & ex consequenti ad Hieronymam Burges pertinuisse, ex testamento Doctoris Mathei Sancho iu præsenti processu exhibito, apparet. Nec refragatur in conditionalibus dispositionibus, qualitatem succedentis, inspiciendàm esse, tempore existentis conditionis, vel cedentis fideicommissi, non vero tempore dispositionis, atque ita licet dispositio Annæ Sancho conditionalis videretur, & tempus mortis Mathei Sancho eius heredis attendendum esset, & ex consequenti, cum Petrus Hieronymus de Luna, & Anna Maria Casales, eo tẽpore maiores reperirentur, & sic dicendum videatur, eos fore admitendos, non vero illos qui tempore quo Anna Sacho suum condidit codicillũ, hac qualitate maioriȩ potirentur. Illud procederet

cederet

cederet, & locum haberet, in maioratibus, & alijs dispositionibus, tractum successiuum habentibus, & quando personæ contemplatæ, sunt testatori incognitæ, & incertæ, & qualitas maioriæ non est certo corpori adiecta, hijs enim in casibus non tempus dispositionis, sed purificatæ conditionis, vel cedentis fideicommissi considerandũ est. Cæterum quando dispositio est pura, vel simplex, quæ vnico actu perficitur, vel personæ vocatæ tempore dispositionis sunt testatori cognitæ, & demonstratæ, & qualitas maioris ætatis, ad certum corpus refertur, vt in hoc casu: etiam si dispositio conditionalis sit, non est expectandum, existentis conditionis, vel cedentis fideicommissi tempus, sed dispositionis tantum, Atque ita cum Anna Sãcho, omnes filios harum trium familiarum, tempore conditi sui codicilli euidenter, & certitudinaliter, cognouisset, neque alij existere potuissent, defunctis iam eorum parentibus, & ex illis dumtaxat, duos maiores vniuscuiusque familiæ, ad fideicommissum inuitasset, Asseuerandum est, illos solum admittendos, qui maiores extiterunt tempore suæ dispositiones, non vero eos, qui tempore cedentis fideicommissis, vel existentis conditionis, cum hac qualitate reperti fuerunt, cum hij non vere & narurales appellentur, sed ficte, & periuris interpretationem, quam abhorret verus sensus, & genuinus literæ, iuxta quem interpretatio fit. QVOD si prædicta non procederent pro (vt certo procedunt) adest aliud euidens fundamentum, videlicet defectus inclusionis, eorundem Petri Hieronymi de Luna & Annæ Mariæ Casales, nam ex partitis libri baptismi Ecclesiæ Metropolitanæ præsentis Ciuitatis compulsati, & in processu exhibiti constat, dictum Petrum Hieronymum de Luna, esse Quarto genitum, & ex responsione facta per Annam Mariam Casales, sub iuramento, in articulo nono replicæ Petri Hieronymi de Luna, etiam resultat, ipsam esse Quinto genitam: & cum non constet de morte aliorum primogenitorum, tempore mortis Doctoris Mathei Sancho, heredis grauati, præsumuntur viuere: Testes enim vtriusque partis, super morte filiorum primogenitorum deponentes de ea, nõ recte concludunt, nam non reddunt sui dicti rationẽ. Asserere enim, filium superuixise solum ex alijs, non est probare mortem aliorum filiorum, nam ex superuiuentia vnius, non potest inferri mors aliorum, & ideo dicendum, ipsos defecisse in inclusione, quam, tanquam suæ intentionis: fundamentum probare tenebantur. Cumque Ioan-

nes Ram, & Hieronyma Burges de Obon, possessores bonorum apprehensorum extitissent, per tempus necessarium ad obtinendum, secundum forum, tempore oblatæ præsentis apprehensionis, necessario debent obtinere. Repellitur etiam propositio Petri Martini de Leyza aliàs Eraso, quoniam non constat deuocatione, & inclusione Petri Hieronymi de Luna eius debitoris, quo casu minus potest obtinere eius creditor. Aliæ autem propositiones repelluntur, quoniam, vel non probarunt, vel non publicarunt, & aliàs, Atteñ. contr. ET VNVS ex dictis dominis desuper nominatis, fuit prædicti voti, ex motibis sequentibus. Ex eo præsertim recipitur propositio Ioannis Ram, & Hieronymæ Burges de Obon coniugũ, quia constat de sua possessione, horum bonorum in pręsenti processu apprehensorum, per multos dies & menses, vsque ad tempus & tempore motæ litis, & sic oblationis appellitus apprehensionis, vt ita merito in hoc sumarissimo litis pendentiæ iudicio obtinere debeant. Repelluntur vero propositiones Petri Hieronymi de Luna, & Annæ Mariæ Casales respectiue. Quoniam deficiunt in sua inclusione, non enim probarunt, omnes alios filios, vel filias maiores antecedentes, de quorũ existentia, ante mortem Mathei Sancho apparet, obijse viuente eodẽ Matheo Sancho; debuisent ergo probare mortem illorum in vita Mathei Sancho, ita quod solum superessent post mortem illius, dicti Petrus Hieronymus de Luna, & Anna Maria Casales, quod si id probasent in aliã sine dubio iuisem sententiam, & opinionem. Repellitur etiam propositio Petri Martini de Leyza, eo quod, cum eam obtulerit in vim comandæ Petri Hieronymi de Luna, cuius propositio non admititur, sed excluditur, fit inde propositionem Petri Martini de Leyza reijciendam fore. Aliæ vero propositiones repelluntur, nã qui eas obtulerunt, vel nõ probarunt, aut non publicarunt, & aliàs. Atteñ. cõtr. ET ALTER ex dictis dominis, fuit ex motibis sequentibus. Ex eo & aliàs recipitur propositio dictorũ Ioannis Hieronymi Ram, & Hieronymæ Burges cõiuguum, principalium dictorum Hieronymi de Abenia, & Didaci Antonij Antin Proc. Quoniam constat de eorum actuali, & sufficienti possessione, titulo etiam iustificata, ad obtinendum in præsenti processu. Constat enim, Annam Sancho, sororem Doctoris Mathei Sancho, post heredis institutionem, ad fauorem prædicti sui fratris factam, in suis codicillis ita legasse, eiusque fratris fideicommisisse, in hæc verba. Et primeramente quiero

ro,y es mi voluntad,que Matheo Sancho mi hermano, aya de disponer, y disponga,de los bienes de mi vniuersal herencia, para despues de sus dias, en los hijos de los quondam Micer Iuan de Luna, Heronimo Burges,y Augustin Casales, en los dos hijos mayores de cada vno dellos,repartiendo los bienes de mi vniuersal herencia entre ellos,dando a qual mas, a qual menos, y al que no quisiere dar nada,lo pueda hazer de la forma,y manera que le parecera. Constat insuper,dictum Matheum Sancho, virtute dictorum codicillorum disponendo de bonis præfatæ suæ sororis, donasse in vita Hieronymo Burges, vni ex contemplatis bona prædicta: aliis, quinque solidos relinquendo;Constat tādē,prædictū (Hieronymū Burges, virtute dictæ donationis prædictorū bonorū,& in processu apprehensorū,dominum & possessorē extitisse,Hieronymamq; Burges eius filiā,eidē Hieronymo in eisdē bonis legitime successisse,dominamq;& possessorē,vna cū Ioanne Hieronymo Rā,eius marito extitisse,pacifice & quietē; vsq; ad tēpus appellitus apprehēsionis,vt merito eius propositionē esse recipiendā arbitremur. NEQVE hjis obstat prę dictā donationē,& dispositionem prædicti Mathei Sancho,ad fauorē dicti Hieronymi Burges factā, inutilē censeri,tanquā pręmature factam,& in prçiuditiū filiorū Doctoris Ioannis de Luna, & Augustini Casales, inuitatorū ad fideicommissum,tēpore mortis prędicti Mattei,& tanquam factam,contra expressam voluntatem Annę Sancho, volentis,quod dictus Matheus Sancho disponeret de suis bonis,post mortem suam, in dictis filijs maioribus, Doctoris Ioannis de Luna Hieronymi Burges,& Augustini Casales, quasi sub conditione vocatis,hijs tantum qui tempore mortis grauati, in rerum natura existebant,ob idq; non potuisse de eis in vita disponere,neq; ea donare, dicto Hieronymo Burges Secretario, ac filio dicti Hieronymi Burges, in dictis codicilis nominati, maxime eorum donatario,vita functo ante mortem donantis, bonaq; præfata, mortuo dicto Matheo absq; alia dispositione,recto iure ad alios filios Doctoris Ioannis de Luna, & Augustini Casales, qui tempore mortis grauati maiores existebant in rerum natura,fuisse delata: Et per consequens ad dictū Petrum Hieronymum de Luna, & Annam Mariam Casales in processu litigantes: SI ENIM mens & verba codicillorū Annæ Sancho substituentis superius relatorum,recte atendamus,clarissime sane apparebit, substitutionem præfatam, non esse conditionalem, neque in

tempus mortis grauati suspensam, sed simplicem & puram, potuisseq; dictum Matheum Sancho grauatum, de præfatis bonis in vita disponere, in dictum Hieronymum Burges, filium maiorem dicti quondam Hieronymi Burges: cæteris filijs, de alijs Colonelis in substitutione nominatis, quinque solidos, aut nihil relinquendo, ad voluntatem & beneplacitum dicti grauati. Illud enim in primis certissimum est, in omnibus dispositionibus, in quibus tempus adijcitur, semper in dubio censeri appositum gratia hęredis grauati, nisi de cōtraria voluntate testatoris constiterit: Quo fit grauatum post mortem Titio hæreditatē restituere, posse etiam ante mortem eam restituere, quoniam in dubio, tempus illud appositum videtur, gratia Mathei Sancho grauati, cum in eo, amplissima potestas tribuatur, eidem, disponendi de bonis testatricis, & in processu apprehensis. Dum non solum eidem facultas cōceditur disponendi: Para despues de sus dias, sed & distribuendi ad libitum certis personis, dando vni, & denegando alteri, ad liberam voluntatem eiusdem. Quæ igitur in distribuendo, tam latam hæredi tribuit facultatem, multo magis voluit, & tempus quoque in eius arbitrium conferre, per consequensq; eidem renuntiare potuisse, asserendū existimamus. NEQVE obstant verba illa. (Para despues de sus dias), quæ cōditionem fideicommisso imponere videbantur. Licet enim in terminis iuris, in substitutione ita concepta, cum morieris, aut post mortem hæreditatem restitue, vni ex liberis cui volueris: fideicommissum conditionale censeatur iniunctum, nec in vita disponendi tribuat facultatem. Cæterum id procedit & locum habet ex communi Doctorum sententia, quando substantia dispositionis confertur in tempus mortis, quoniam tunc facit conditionem, non vero quando mors, aut tempus ponitur exequutioni, aut exactioni, quoniam tunc nō facit cōditionem, sed diem. Vnde cum mors adiecta in dictis codicillis Annæ Sancho, sit adiecta distributioni & exactioni faciendæ per Matheum Sancho grauatum, non vero substantiæ fideicommissi, potuit dictus grauatus, quasi proprio fauori renuntiando, & in vita, & in morte restituere. Quod clarius demonstratur, si attendatur Annam Sancho, non grauasse fratrem disponere, aut destribuere, cum morietur, aut post mortem sed. (Para despues de sus dias), addita ea dictione (para) quæ semper datiuo iungitur, & sic ad vtilitatem eius, cui paratur, censetur adiecta: Si enim ea voluisset, fratrem substantialiter grauare post mortem, &

non antea, superfluum videretur appositum, verbum illud (para) quasi iam cūprehensum in illis verbis. (Despues de sus dias) Additur igitur verbum (para) ex actioni legati, vt licet possint capere fideicommissarij ex voluntate grauati ante mortem, non tamen reluctante eo, ante mortem exigere possint, indeque diem facere, ad vtilitatem grauati, non vero conditionem arbitramur. Ex quibus satis constare videtur, & donationem Mathei Sancho in vita factam, ad fauorem Hieronymi Burges, validam censeri, & filios maiores Doctoris Ioannis de Luna, & Augustini Casales, sub conditione mortis non fuisse vocatos; Potuisseq; dictum Hieronymum Burges donatarium, ius illud in præfatam Hieronymam, eius filiam, optimo iure transferre, vt dificultatibus aduersæ partis suprapositis satisfactū cēseatur. SECVNDO & fortius pro prædictis Ioanne Hieronymo Ram, & Hieronyma Burges, pronuntiandum fore arbitramur. Quoniam inuitati ad prædictum fideicommissum Annæ Sancho, in dictis suis codicillis, fuerunt & erant personæ certæ, & cognitæ testatrici, & existentes in rerum natura tempore codicillorum, videlicet singuli duo filij maiores dictorum Ioannis de Luna, Hieronymi Burges, & Augustini Casales, ac si suis proprijs nominibus essent demonstrati, inter quos Matheus grauatus, bona testatricis distribuere tenebatur, non inter alios, quibus nec ius petendæ hæreditatis tribuebatur. Quo casu ex veriori & receptiori Doctorū sententia, succedit regula ab omnibur vnanimiter recepta. Quod vbi certæ ac determinatæ personæ fideicommissum restitui debet, tunc facta semel distributione, & restitutione ex contractu irreuocabili; vlterius reuocari non possit, quamuis fideicommissi restitutio post mortem grauati; facienda sit, licet secus esset, vbi vnus ex certis, in certus tamen eligendus est. Cum igitur in proposito, personę ad fideicommissum inuitatæ certę fuerint, potuit iure optimo dictus Matheus (sto, quod post mortē grauatus extitisset,) ante mortem restituere prædictis personis certis, aut vni earum, iuxta amplissimam sibi traditam facultatem, pro vt fecisse eundem satis apparet in processu, absque eo quod alij conqueri posse videantur, & multo minus dictus Petrus Hieronymus de Luna, & Anna Maria Casales nati, & noti testatrici, quibus sicuti grauatus poterat in vita donare, ita & potuit ex voluntate eiusdem, eosdem eadem donatione, & distributione, & in vita, & in morte priuare. Neq; obstat, prædictam

dictam

dictam regulam procedere, vbi vni certæ personæ restitutio facienda est, non vero vbi multis certis, vt (nonnulli contra literam textuum) censuerunt, alijs multis contra sencientibus, nam omnes (isto quod exceptio vera esset) in eo conueniunt, rationem esse quod vbi vni certæ personæ restitutio facienda est, nemini alteri præiuditiū fit, si ante tempus restitutio fiat. Sed hæc ratio militat, etiam in restitutione facienda pluribus certis personis, ergo idem quoque ius procedere dicendum est, ergo idem in nostro casu vbi duabus certis personis ex quolibet Colonelo, quibus tota hæreditas distributa fuit, fatendum videtur: HIIS multū opitulatur, quod Anna Sancho in suis codicillis non vocabit, ad suam successionem, omnes filios, dictorum trium Cololenorum, sed solum duos maiores, cuiuslibet Colóneli. Quod sane proprie intelligendum arbitramur, de maioribus natiuitate, & tempore codicilorum eiusdem Annæ Sancho, non vero de maioribus existentibus tempore dispositionis, aut mortis Mathei Sancho grauati, qui improprie maiores appellantur. Quoniam in dubio talis maioria, de propria intelligenda venit; non de impropria & præsumptiua, qualis est hæc vltima à dictis Petro Hieronymo de Luna, & Anna Maria Casales prætensa. Præsertim cum non versemur in fideicommisso perpetuo, & graduali, sed in simplici legato & distributione, quæ vno tantum actu perficitur, & in maioria testatrici nota tempore codicillorum. Qua notitia præhabita, vltra proprietatem præfatam, hos magis tūc existentes maiores dilexisse, quam alios filios in locum maioris substitutos, credendum videtur. Vt merito existimmemus, dictum Matheū Sancho grauatum, in alios dispositionem facere non teneri, ex mente, & verbis testatricis, sed maioribus duobus mortuis, à destributione omnino liberari. HINC quoque fit in nostro Regno Primogeniti appellatione, solum venire, secundum forales dispositiones Primogenitum vere, & proprie & qui primo natus est, non vero secundo natum, quamuis nemo eum præcedat: his enim secundo genitus quem nemo præcedit, licet Primogenitus censeatur, quo ad iuris effectus repræsentandos, id tamen non proprie, sed interpretatiue, & improprie, contingit, & sic per quandam fictionem, & presumptionem, Primogenitus appellatur. Quod sane in Regno procedere posse, absurdum existimamus, vbi verborum proprietati semper insistitur, non fictioni. HINC quoque fit in hisce supre-

pre-

premis tribunalibus, sępius fuisse iudicatum, hanc Primogenituram, & maioriam filiorum, regulariter de propria ac vera, non vero de impropria & pręsumptiua, esse intelligendam. Cum igitur in processu constet, Petrum Hieronymum de Luna, filium esse quarto genitum, Doctoris Ioannis de Luna, & Annam Mariam Casales, filiam quinto genitam Augustini Casales, clare quoque apparet, eos non habere qualitatem, à testatrice desideratam, & ad successionem prædictam necessariam, quamuis tempore successionis, nemo ex filijs, aut filiabus eos pręcedant, vt merito eorum propositiones reijciendas arbitremur, ex proprietate verborum, & voluntate testatricis. ET quod ea fuerit mens, & voluntas testatricis, vt solum hij duo maiores filij, quique proprie primo nati essent, admiterentur, & non alij, apparere videtur ex sequentibus: Supponendo in facto, quod dicti tres Coloneli Ioannes de Luna, Hieronymus Burges, & Augustinus Casales, erant mortui tempore codicillorum dictæ Annæ Sancho, vt verba illa codicillorum insinuant. (En los hijos de los quondã, &c.) ob idque eosdem parentes alios filios procreare non posse, certissimum fuit testatrici: Addens statim propriam mentem declarando (en los dos maiores de cada vno dellos) Quo supposito apparet manifeste, testatricem noluise ad suam successionem vocare, omnes filios, aut quoslibet filios, sed solum duos maiores, non tertium, non quartum, non quintum. Nam cum primo omnes filios ad successionem inuitasset, generali verbo filiorum, statim quasi magis suam voluntatem declarando addidit. En los dos mayores de cada vno. Nõ igitur in alijs. Secundo hanc eandem genuinam voluntatem testatricis, ita intellexisse, videtur dictus Matheus Sancho grauatus, & frater eiusdem duum disponendo iuxta voluntatem testantis, de bonis præfatis, in filios, dicti Doctoris Ioannis de Luna, cuius filius maior natu, mortuus erat, tempore dispositionis dicti Mathei, disponit in nepotem eiusdem, & sic in filium, filij maioris dicti Doctoris Ioannis de Luna, quinque solidos ei relinquendo, non in alios, idque ea protestatione adhiuita. (Para en caso que en alguna manera tenga drecho a los bienes de Anna Sancho, mi hermana en virtud de dicho codicillo) & Paulo inferius, ibi. (Con los quales dichos cinco sueldos Iaqueses, el dicho nieto de dicho Micer Iuan de Luna, hijo del dicho Iuan Luys de Luna, vno de los hijos mayores del dicho quondam

dam Micer Iuan de Luna comprehenſo en dicho codicillo ſe haya de tener por contento.) Ergo voluntas,& mens teſtatricis ea fuit, vt ſolum de duobus filijs maioribus natu, & propriè maioribus, eius diſpoſitio intelligeretur, nemo enim melior interpres voluntatis teſtatricis poteſt exiſtimari, quam proprius frater, ac heres, maximè attenta clauſula vltima dictorum codicillorum, qua totam ſuam diſpoſitionem, eius arbitrio reliquit, ibi. Dando a qual mas, o a qual menos, y al que no quiſiere dar nada,lo pueda hazer,en la forma y manera que le pareciere. Ac tandem vbi prædicta omnia non ſubſiſterent (prout ſubſiſtunt) ac vbi de maioribus natu tempore mortis Mathei grauati diſpoſitio Annæ Sancho intelligenda eſſet(vt inficiamur) adhuc propoſitiones dictorum Petri Hieronymi de Luna,& Annæ Mariæ Caſales reijciendę venirent.Quoniam conſtat in proceſſu alios filios dictorum Colonelorum natu maiores extitiſſe, qui eos præcedebāt tempore mortis,aut diſpoſitionis dicti Mathei Sancho grauati,quos hactenus mortuos eſſe non apparet in proceſſu. EX quibus,& alijs merito propoſitionē dictorū Ioannis Ram,& Hieronymæ Burges coniuguum admitendam fore cenſemus,alijs propoſitionibus repulſis,ac præſertim, eorum qui à dicto Petro Hieronymo de Luna cauſam habent,& aliàs. Atteñ. contteñ.

Sig † num mei Ioannis Perez de Oliuan Scribæ mandati ſuæ Maieſtatis, in Ciuitate Cæſarauguſtæ domiciliati, qui huiuſmodi vota & motiua à libro Regij Conſilij Ciuilis præſentis Regni Aragonum,vbi continuata exiſtunt,bene & fideliter comprobata,extraxi & ſignaui. Conſtat de emendatis dicentibus, Aztarbe,è, ſub, Bur, red, oge ſupra poſito dicente,ſuis,&c.